Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2077
Quelle:
Copyright:

artifici penicillo, auroque magnificus eſt *Ceremoniale*, ſeu *Pontificale Romanum* ſcriptum in uſum cujusdam Eccleſiae in *Gallia*, cujus Infigne: Claves duae aureae connexae ſurſum erectae in area caerulea cum lemmate *Donum Dei*, quod Infigne paſſim repetitur. Dixi in *Gallia*; nam et ratio folia numerandi v. g. IIIIXX. pro LXXX. gallica eſt, et Umbella *fol.* 254. Arae impendens caerulea liliis aureis confita, et in Litaniis SS. *fol.* 19. p. 2. praeter *Hilarium*, *Martialem*, *Guillermum* &c. invocantur etiam S. *Privatus* et S. *Fredaldus* Epiſcopi *Mimatenſes* ſeu *Gabalitani*, unde credibile eſt, Codicem ad hanc Eccleſiam (gall. *Mende*) pertinuiſſe. Diſtribuitur ille porro in III. *Partes*. Prima de Sacramentis *Ordinem Baptiſmi, Confirmationis, faciendi Pſalmiſtam, Clericum, Hoſtiarium* &c. uſque ad *Presbyterum* docet et quidem per quinque tempora, videlicet: *Sabbato in Jejuniis quatuor temporum poſt Inuocauit me. Sabbato poſt Letare iberuſalem. In vigilia paſche. In ieiunijs quatuor temporum ſabbato primo poſt pentbecoſten. Sabbato in ieiunijs quatuor temporum poſt exaltacionem ſancte crucis.* Sequitur *de examinacione ordinacione et conſecracione epiſcopi. Ordo romanus ad romanum pontificem ordinandum. De monacho uel alio religioſo faciendo. De profeſſione nouiciorum, confirmacione et benedictione regularis abbatis et abbatiſſe, virginum* et *vidue. Ordo ad benedicendum et coronandum Imperatorem, Imperatricem, Regem, Reginam, benedicendum Principem ſiue Comitem palatinum*, et *novum Militem.* Itaque ſatis obſervata ſerie *Pontificalis* moderni, ut docet collatio. Nihil tamen in hoc de Pontifice Rom. et Imperatore, a quo etiam *Rubricae* Noſtri non raro abludunt. Ita *fol.* 119. notant, quasdam Eccleſias non facere *Scrutinium ſerotinum* Epiſcopi conſecrandi, nec Eccleſiam Rom. de eo curare. Item *fol.* 122. Eccleſiam Rom. propter ordinationes Epiſcoporum nunquam mutare officium diei; alias vero plures dicere Miſſam de Spiritu ſancto, vel aliam, quae adtexitur. Item *fol.* 129. p. 2. poſt traditionem Libri Evangeliorum legitur: *Et mox in quibusdam eccleſijs conſecrator aperit librum euangeliorum inter manus conſecrati. et videt pronoſticum de quo non eſt curandum.* Et plura hujusmodi. Pars *Secunda* a *fol.* 181. agit de Benedictionibus, *de conſecratione Eccleſie, Altaris*, etiam *portatilis, benedictione cimiterij, reconciliatione* ejusdem et *Eccleſie, de conſecrandis* ſeu *benedicendis ſacris vaſis, veſtimentis, crucibus, Imaginibus, baptiſteriis, campanis*, quae etiam *Signa* vocantur, ceterisque, quae P. II. novi *Pontificalis* pariter habentur, exceptis benedictionibus *Muneris, quod in Eccleſia offertur, Panis* ibidem *uel feſto aſcenſionis vel pentecboſtes diſtribuendi, carnium, caſei, lactis et mellis, uvarum, novorum fructuum, cilicij, baculi et pere ſeu ſcarpſelle* (E-